



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

**Parisiis, 1644**

VI. Vt presbyteri pro Mißis celebrandis pecuniam non exigant.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15653**

ANNO  
CHRISTI  
1524.

rum, quæ in episcoporum potestate consistunt. Propterea ne astutia satanæ eos decipiat, propter rectorum ignorantiam vel defectum, & sanguis subditorum de eorum manibus requiratur, statuimus sacro Concilio approbante, quod nullus in curato beneficio administret, donec in eo per diocesenum episcopum institutione auctorizabili fuerit institutus, seu sibi cura commissa fuerit animarum: alioquin iure quod habebat in prædicto beneficio, non obstante contraria consuetudine, sit priuatus, priuilegiis & gratiis sedis apostolicæ semper saluis.

V.

Vt substantia ecclesiarum quæ solet per clericorum sobolem deperire, ad vsus debitos conseruetur, statuimus quod nullus clericorum bona intuitu ecclesiæ acquisita filiis vel filiabus suis det, vel conferat inter viuos, vel in testamento contra Canonum instituta dimittat; præcipientes omnibus episcopis in virtute sanctæ obedientiæ, quod iura super hoc edita diligenter obseruent.

VI.

Multa mentis amaritudine concitatur, grauiusque doloris aculeus perfodit mentem nostram, intelligentes, quod aliqui presbyteri detestanda & abominabili ambitione cæcati pro Missis per eos celebrandis pecuniam exigunt, & super hoc ac si velent vendere rem profanam, impudenter mercantur: quandoque etiam publice qui eas faciunt celebrari, æstimantes, vt ex eorum facto pernicioso vendunt gratiam Dei quæ in sacramento Missæ confertur, vel verius ipsum Deum qui nobis sub specie

dicti sacramenti se exhibet, pecunia posse vendi. Verum cum dictum sacramentum super omnia preciosum, sit liberaliter sicut cetera sacramenta celebrandum, districtius prohibemus, ne aliquis presbyter pro Missis celebrandis pecuniam exigat, vel rem aliam temporalem; sed grate accipiat, si aliquid per facientem Missas celebrari oblatum sibi caritatiue fuerit, absque pacto & conuentione quacumque. Qui vero contrarium fecerit, a celebratione Missæ per annum nouerit se suspensum, & alias pro tam graui excessu ad arbitrium proprii episcopi puniendum.

ANNO  
CHRISTI  
1324.

## VII.

Nullus insuper absque causa necessitatis, excepto die natiuitatis Domini, præsumat nisi vnam Missam celebrare in die: quia valde felix est, qui celebrat digne vnam. Præcipimus etiam in virtute sanctæ obedientiæ omnibus presbyteris, quod Missam celebrent vt frequentius poterunt, & ad minus quater in anno; nisi ex causa rationabili, quam propriis episcopis notificare habeant, eos cessare contingat. Et ne præter criminis conscientiam a celebratione Missarum habeant abstinere, concedimus eis licentiam in hoc casu, si non possint commodè copiam sui curati habere, quod possint alii presbytero confiteri, qui ipsos tam a minore excommunicatione, quam aliis omnibus quæ sibi confitebuntur, possit absoluerè; exceptis dumtaxat casibus sedi apostolicæ & episcopo referuatis: alii vero clerici vt ostendant se ad plus teneri quam laici, ad minus communicent ter in anno; nisi de